



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,  
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

**Ziegler, Kaspar**

**Norimbergæ, 1686**

XIII. De potestate absolvendi & reconciliandi pœnitentes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

*dare, dulcedinem spiritualis vini exhibere incipiat* Sc. In sequentibus autem verbis ejusdem homiliae admonet poenitentem, ne ex conjunctione hac precum & intercessione populi apud DEUM tantam sibi praesidii spem faciat, ut prorsus securum se salutis suae existimare queat: *Et tamen, inquit, hic ipse, qui tam fideliter compuncto corde & contrito poenitentiam petit, sic de intercessione totius populi debet esse securus, ut totis viribus in bonis operibus se exercens cum DEI adjutorio de sua sit salute sollicitus, ne forte dicat in corde suo: Ecce totus populus pro meis iniquitatibus supplicavit, jam ego & possum & debeo esse securus. Absit, ut hoc vel in cogitatione, non dicam in sermone habeat ille, qui poenitentiam agit* Sc.

## CAP. XIII.

## De Potestate absolvendi &amp; reconciliandi poenitentes.

I.

**Q**uandoquidem qui per enormia peccata prorsus exciderant gratiam divinam, & mancipia Diaboli facta fuerant, non poterant in communione fidelium permanere nec restitui, nisi prolixam multorum annorum poenitentiam susceptam dignos se praestitissent, qui in numerum & coetum fidelium reciperentur, factum inde, ut accuratè & curiosè poenitentium mores examinarentur, antequam quicquam de restitutione eorum decerneretur. Sic enim tum ex Scriptura sacra, tum ex disciplina suorum temporum persuasi erant, divinae justitiae iram vehementer pertimescendam, peccati turpitudinem immortali odio dignissimam, & ut ardentissimam pestem fugiendam, magno simul & excelso animi robore ad virtutis iter multis difficultatum vepretis atque dumis obseptum progrediendum, nec posse alios, nisi patientiae laude praecellentes, & alta quaedam mente praeditos illud inire, ceteroquin etiam sanctissime viuentes infici & contaminari ab illis, qui tetri alicujus flagitii & sceleris conscientiam exulcerati essent, neque congruam adhuc poenitentiam suis in actionibus & vivendi genere ostendissent. Tantoperè igitur fidelium animi à communione & societate perditorum & flagitiosorum abhorrebant, ut eos non nisi certis spatiis emensis pristinum jus communionis, quantum vis dolorem suum & aegritudinem propter peccata commissa, jejunii, lacrymis aliisque indicibus abunde declararent, recuperare posse statuerent.

II. In hunc finem constituti erant nonnulli apud veteres Christianos, uti refert Origenes *lib. 3. contra Celsum*, ad inquirendum in vitam ac mores eorum, qui ad sacra ipsorum accedebant, ut eos, qui turpia perpetrassent

faci-



facinora, à publicis ipsorum conventibus arcerent. Ipsi etiam Christiani reliqui talium hominum commercium, colloquium, convictum sponte respuebant, quod eorum consortio contaminari se, ac pollui existimarent. Quod si accessisset publica excommunicationis sententia, vix erat quisquam, qui eorum aliquam rationem haberet, quique miseris eorum & turbidis rebus, si quæ incidissent, indoleret. Quia verò præcipuus excommunicationis finis hic est, ut qui contumax in peccatis manifestis & impoenitens hæctenus fuit, hoc modo ad veram peccatorum suorum agnitionem & detestationem, itemque ad seriam offensionis & iræ divinæ considerationem, denique ad veram poenitentiam adducatur, utque ipse tandem remedia quærat, quibus Ecclesiæ reconciliari, & in gratiam cum eâ redire possit. Hinc adeo Ecclesia ipsa certa præscribere solet tempora, eaque interdum haud modica aut exigua, intra quæ illum in variis poenitentiae specimenibus exerceri oporteat, quibus elapsis restitutionem in pristinum statum petere liceat. *In Ecclesiâ, inquit Ambrosius in Psalm. 118. serm. 8. Ubi maxime misereri debet, teneri quam maxime debet justitiæ forma, ne quis à communio- nis consortio absentus, brevi lachrymulâ ad tempus paratâ, aut etiam uberioribus fetibus, quod plurimis debet postulare temporibus, facilitate sacerdotis extorqueat &c.* Atque inde puto, non malè explicari plenam poenitentiam, cujus aliquoties meminit Cyprianus, de eâ, quæ tempus ab Episcopo constitutum explevit, secus atque putat Gabriel Albaspinæus *lib. 1. Observat. 30.* qui plenam poenitentiam accipit de eâ, quæ fit bonâ fide & animo verè dolente. Quæ ipsa tamen qualitas separari ab illa nunquam debet.

III. Quando verò deinceps ex indicibus & specimenibus externis constabat, tales excommunicatos secundum DEUM contristatos peccati magnitudinem agnoscere & execrari, iram DEI expavescere, ac seriò petere remissionem atque reconciliationem cum DEO & Ecclesia, ut in communionem fidelium reciperentur, noluit Ecclesia, videns, se finem, quem se verâ hæc suâ disciplinâ intenderat, assecutam, difficilem se amplius præbere, sed talem adhibuit moderationem, ne is, qui tam longâ ac laboriosâ defunctus erat poenitentiae ἀσκήσει, vel in desperationem vel in sensum reprobum conjiceretur, & utramque propterea manum resurgenti porrigere solita fuit. Et tùm quidem reconciliari dicebatur ille, qui ita poenitentiam egit, reconciliari scil. Ecclesiæ, quam gravissimis suis peccatis offenderat, & à cujus communionem ipse propterea exclusus fuerat. Ut adeo reconciliatio illa nihil aliud sit, quam absolutio à peccatis, & plenaria in pristinum statum restitutio.

IV. Ad hanc reconciliationem impetrandam præcipuum momentum conferebat testimonium presbyteri, qui in poenitentis vitam & mores inspectionem habuit. Presbyteris enim eam curam commissam fuisse, di-

K k k k 3

scimus



scimus ex c. in capite, dist. 50. in quo adesse jubentur presbyteri pœnitentium, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent. Et horum testimonium tanti erat roboris in hoc actu, ut non immerito eos admonuerit Riculfus Svesfionensis in capitulis suis c. 9. ne hâc suâ autoritate abuterentur, & in fraudem converterent vel Ecclesiæ, vel ipsorum pœnitentium. Videant, inquit, ne Simoni Mago & Jude traditori efficiantur similes, si pro precio aut pro familiaritate vel propinquitate pœnitentes ante tempus ad reconciliationem adduxerint, & eis pro reconciliatione testimonium dederint, vel si cum fervore & diligentia pœnitentes aliquâ amaritudine, vel, quod absit, odio, aut quia nihil ab eis accipiunt, à reconciliatione suspendi fecerint: quia ut comministri, ita etiam cooperatores presbyteri in ministerio divino à DEO sunt constituti Episcopis. Similiter etiam Hincmarus Remensis in capitulis, quæ presbyteris dedit, c. 13. hoc addidit præceptum: Ut nemo presbyterorum à quocunq; pœnitente aut gratiam, aut favorem, aut munus suscipere præsumat, ut minus digne pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat, & quocunq; livore alium quemlibet dignius pœnitentem à reconciliatione removeat, quia hoc Simoniacum & DEO & hominibus abominabile est. Et Regino Abbas Prumiensis lib. 1. de Eccles. discipl. sub præceptis inquisitionis, quæ præmisit, num. 38. Episcopum inquirere jubet, si presbyter aliquem minus digne pœnitentem favoris aut familiaritatis, aut consanguinitatis gratiâ ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat.

V. Quia verò in Episcopi potestate erat, pro conditione pœnitentis & qualitate delicti commissi tempus præfixum contrahere & minori spacio circumscribere, uti capite antecedente exposuimus, presbyteri officium erat, etiam post reconciliationem per totum istud temporis spacium, quod pœnitenti remissum erat, accuratè ut dispiceret, quatenus se in vitâ & moribus gereret reconciliatus. Sic enim pergit Riculfus d. l. Si verò publicè pœnitentes pro certâ necessitate vel ratione, ante præfixos à canonibus annos fuerint reconciliati, sicut ante reconciliationem, secundum pœnitentium possibilitatem & qualitatem, de eorundem pœnitentiâ sollicitudinem habuerunt: ita & post reconciliationem vitam eorum & conversationem, donec præfixum pœnitentiæ tempus expleatur, non negligant; sed solerter discutiant, & attendant, scientes, non solum Episcopis, sed etiam secundum modum suum presbyteris convenire, quod dicitur: Speculatorem dedi te domui Israël &c.

VI. In Ecclesiâ Orientali certus erat presbyter constitutus & pœnitentibus præpositus, qui curiosè inquirebat in crimina singulorum, audiebat testes ac delatores, & coram illis noxios convincebat, convictisque pœnam injungebat. Ejus mentionem facit Socrates lib. 5. hist. Eccl. cap. 19. & Sozomenus lib. 7. c. 16. Sozomeni verba hæc sunt: Cum in nullo penitus peccare divinitus cujusdam nature sit, & humanâ præstantioris; pœnitentibus vero,



vero, etiamsi sepius deliquerint, veniam dare DEUS praeceperit; cumq; in petenda venia peccatum necessariò confiteri oporteat: grave ac molestum ab initio jure merito visum est sacerdotibus tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesiae multitudine sua crimina evulgare. Itaq; ex presbyteris aliquem, qui vitae integritate spectatissimus esset, & taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio praefecerunt, ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille verò pro cujusq; delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, poenae loco indicens, absoluebat confitentes, à se ipsis poenas criminum exacturos. In sequentibus refert, matronam aliquam tali presbytero de stupro sibi à Diacono quodam illato confessam, & re comperta graviter commotam fuisse plebem, & propterea à Nectario Episcopo Constantinopolitano prorsus sublatum presbyterum istum poenitentiarium. De qua re multa disquirunt Henricus Valelius ad Socratem, d. l.

VII. Dum pergimus ad alia, repetendum est ex capite antecedente, quatuor fuisse gradus publicae poenitentiae, *περίκλαυσιν* nimirum, *ἀκρόασι*, *ἐπιπίωσι* & *σύρωσι*, antequam ad *μέτρη*, quae absolutissimam inferebat reconciliationem, admitterentur poenitentes. Et ex illis quidem omnibus, si atrocius quoddam commissum erat flagitium, gradatim surgendum erat. Nec omnes tamen poenitentes ad omnes & singulos hos gradus condemnabantur, sed alii ad hunc, alii ad illum, pro ratione criminum ab eis commissorum. Sed & liberum erat, Episcopis, uti jam ante dixi, poenarum illarum partem remittere, & pro ratione conversionis, quae vel probata jam erat, vel sperabatur, humanius erga poenitentes agere. In eorum, scil. Episcoporum, est potestate non solum poenarum tempora minuendi, sed etiam poenas commutandi, inquit Theodorus Balsamon ad Basili can. 74. & porro: Quare non est accipiendus hic canon, ut nonnulli dicebant, ad solam temporis poenarum diminutionem, sed ad omne poenae genus.

VIII. Ex difficillimis istis poenitentiae gradibus dum sensim & gradatim, nisi dispensatio Episcopi accessisset, eluctari poenitentibus licebat, satis constat, plurimas ærumnas in illis singulis exantlari oportuisse, antequam reconciliatio fieret, & jus pristinum in Ecclesia restitueretur. Interea verò solennia quaedam adhibere moris erat, potissimum, quando ex uno gradu in alium, ab imo ad ulteriorem fieret transitus, ut in conspectu omnium esset poenitentis conversio, atque ut de emendatione ex plurium testimonio rectius ferri posset judicium, cum in tanto fidelium numero semper esse soleant, qui, si minus sincerè & hypocriticam quãdam simulatione quid actum fuerit, cognitum habeant, & veritatem occultatam prodere queant. Quemadmodum verò in plerisque sacris actibus impositio manus in usu erat, praesertim quando super personam aliquam specialiter invocabatur nomen divinum, & hac ratione persona illa offerebatur quasi DEO & fiste-



sislebat in conspectum ejus, additis supplicationibus, ut DEUS gratiam & benedictionem suam illi largiri dignaretur: ita etiam in pœnitentium statum quis erat, per manus impositionem DEO commendabatur, ut Spiritus S. gratiam in eum effundere & ad veram salutis viam reducere vellet; simul ut indicaretur, graviter hunc pœnitentem in DEUM peccasse, nec posse in Ecclesiæ gratiam redire, nisi post plurima pœnitentiæ specimina, & sæpius iteratas preces. Sic enim etiam apud Judæos non in benedictionibus tantum personarum, itemque in ordinationibus munerumque collationibus; sed & in victimarum ac reorum devotionibus manuum impositiones fiebant.

IX. Quatuor autem manus impositiones in decursu pœnitentiæ in usu fuisse, eruditè tradit Gabriel Albaspinæus *lib. 2. c. 31.* Prima quidem, quando pœnitentiæ agendæ copia dabatur, h. e. quando Episcopus pro ratione delicti commissi pœnitendi tempus & modum decernebat. Et hæc videtur ad *περὶ κλαυσι* pertinuisse, quâ præviâ pœnitentiæ publicæ copia fiebat. Et hinc est, quod putent nonnulli, *περὶ κλαυσι* non constituere speciem pœnitentiæ, sed eam cum hæc impositione manuum esse veluti januam pœnitentiæ, & *περὶ κλαίωνης* esse veluti pœnitentiæ Candidatos. Eos enim nondum ab Ecclesiâ inter pœnitentes admittos fuisse, sed ad Ecclesiæ fores in *περὶ πύλαις* stetit, luctu & lacrymis eos, quæ ingrediebantur, supplices exorasse, ne sacris Ecclesiæ liminibus diutius arcerentur: Secutâ verò & impetratâ manus impositione simul obtinuisse, ut pro pœnitentibus haberentur, & sacras portas ingredi liceret.

X. *Secunda* manus impositio fiebat illis, qui in tertio pœnitentiæ gradu, *ὑποπίπτοντων* scil. consistebant. *ἀκροώμενοι* enim, qui in secundo gradu erant, cum Catechumenis dimittebantur, antequam reliqua sacra peragerentur, & impositiones manuum fierent. Sed *ὑποπίπτοντες*, egressis Catechumenis, vel in loco quo eis stare in Ecclesiâ & conciones audire licebat, vel in loco paulo altiore, ut in conspectu magis essent fidelium, proni se in faciem abjiciebant, & ab Episcopo manus impositionem recitatis quibusdam precibus accipiebant. *Tertia* manus impositio fiebat illis, qui à tertio gradu *τῶν ὑποπίπτοντων* ad quartum *τῶν συνισταμένων* digrediebantur. Hi enim restituebantur in communionem rerum tum divinarum tum humanarum omnium, solis exceptis oblationibus & Sacramento eucharistiæ. *Quarta* denique & ultima plenissimè reconciliabat pœnitentes, & restituebat eos in pristinam communionem, nullâ planè re excepta, ita ut etiam ad Eucharistiam accedere, eaque cum reliquis fidelibus frui, cumque illis oblationes facere liceret. Conf. Jacob. Sirmond. *in histor. pœnit. publ. cap. 7.*



XI. Ex his verò manuum impositionibus, tertiâ quidem & quartâ, conficit Albaspinæus c. 32. & 33. duo reconciliationum genera, sive species, minorem & majorem, quæ respondeant duabus speciebus communionis, minori & majori. Minor est, quæ omnium rerum societatem & communionem largitur, solo Eucharistiæ & oblationum usu excepto; Major verò etiam hunc concedit, nec excipit quidquam, quod fidelibus reliquis competat. Hinc adeo etiam per reconciliationis speciem unam, quæ minor dicitur, pœnitentes in tantum absolvuntur, ut jus primæ communionis recuperent; per alteram, majorem, jus communionis integrum, & ipsam etiam Sacramentis utendi potestatem recipiant. Eum sequitur Franciscus Bosquetus ad Innocentii III. epist. 149. Primam reconciliationis speciem qui impetraverant, *συνιστάμενοι* dicebantur, & in quarto pœnitentium ordine existerant, quos proinde his verbis describit Matthæus Blastares in syntagm. lit. M. Consistentes sunt, qui simul cum fidelibus orant, canuntque, à sacrorum autem Sacramentorum participatione abstinentes, donec adveniente secundum leges illis præscripto tempore, perfectio eos in divinam communionem recipiat. Exigendum scilicet in hoc ordine erat temporis aliquod spacium, ut eo magis accenderetur in eis desiderium plenariæ restitutionis. Magna Synodus Nicæna biennium præscribit can. 11. Duobus annis sine oblatione populo communicent in orationibus. Idem & Ancyrana can. 24.

XII. Quanquam verò pœnitentes ordinariâ hâc viâ ad reconciliationem progredi oporteret; si tamen urgens aliqua necessitas, quæ ex imminente periculo mortis nasci poterat, supervenisset, noluit Ecclesia rigori illi insistere, suâque benignitate eos privare amplius, sed prout illi se gessissent hætenus, ita se erga eos exhibuit vicissim, & verè contritos suam recepit in gratiam. Quæ de re multi passim agunt Conciliorum canones. Potissimum vero Concilii Nicæni canon. 13. De his, qui vitâ excedunt, & Canonica lex nunc quoque servabitur, ut si quis vitâ excedat, ultimo & necessario viatico minime privetur. Si verò desperatus & communionem affectus supervixerit, sit inter eos, qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & eucharistiæ participationem petenti Episcopus cum examinatione oblationem impertiat. Concilii Arausiacani I. canon tertius: Qui recedunt de corpore pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoriâ manûs impositione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi, secundum definitiones patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoriâ manûs impositione percipiant. Idem prorsus repetitum in Concilio Arelatensi II. can. 28. Et in hunc sensum etiam conceptus legitur canon 36.



Concilii Epaonenſis: *Ne ullus ſine remedio, aut ſpe veniæ ab Eccleſiâ repellatur, neve ulli ſi aut pœnituerit, aut ſe correxerit, ad veniam redeundi aditus obſtruat. Sed ſi cui forſitan diſcrimen mortis immineat, damnationis conſtituta tempora relaxentur. Quod ſi egrotum accepto viatico revaleſcere fortâſſe contingit, ſtatuti temporis ſpacia obſervare conveniet.* Eodem tendit Concilium Carthaginienſe IV. c. 76. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum invitatus Sacerdos venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in pœneſin verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem, & infundatur ori ejus euchariftia. Si ſurvixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus, petitioni ſuæ ſatiſfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui pœnitentiam dederit, probaverit.*

XIII. Viaticum hoc, quod morituris dari debere volunt canones, quale ſit, dubium facit Gabriel Albaſpinæus lib. 2. obſ. 32. potiffimum ex eo, quod à Patribus dicatur, à quolibet preſbytero ſine delectu aut inquisitione pœnitenti viaticum iſtud dari poſſe & debere, cum tamen Euchariftiæ viaticum communi conſenſu non niſi permiſſu & ex conſeſſione Epifcopi exhiberi poſſit, & ab eo dijudicari oporteat, utrum pœnitens, qui in extremo vitæ periculo id petat, dignus ſit, cui detur. Putat ergo Albaſpinæus, viaticum iſtud non eſſe euchariftiam, ſed ſub viatici nomine hiſ caſibus venire primam illam ſive minorem reconciliationem, quâ pœnitentes uno eodemque tempore duo reciperent, noxarum condonationem, & ſimplex atque minimum jus communionis. At verò, quid opus eſt, ut ab uſitatâ vocabuli ſignificatione recedatur, ſicubi ea negotio, de quo res eſt, non repugnet. Per viatici vocabulum euchariftiam moribundis dari ſolitam denotari, notior res eſt, quàm ut prolixo commentario illuſtrari debeat. Et cur verò pœnitentibus, ſi animam egiffent, & vitâ exceſſuri fuiſſent, dari non oportuiſſe dicamus euchariftiam, cum diſertè id ſtatuat Concilium Toletanum I. can. 18. *Si qua vidua Epifcopi aut diaconi maritum acceperit, nullus Clericus, nulla religioſa cum eâ convivium ſumat, nunquam communicet: morienti tantùm ei Sacramentum ſubveniat.* Per Sacramentum hiç Euchariftia innuitur. Idque ulterius conſtat ex canone Carthaginienſi paulo ante adducto, quo etiam illi, qui pœnitentiam petit in infirmitate, nec adeptus adhuc fuit, euchariftia infundi jubetur. Et ipſi quidem illi canones, qui de viatico hoc dando agunt, communionem talem, quæ ex viatici hujus participatione ſignificatur, ſecernunt à communionem legitima, cum reconciliatoriâ manûs impositione conjunctâ, cum prior illa ſine reconciliatoriâ manûs impositione fiat, uti exſertè ita diſtinguit Canon Arauſicanus.



XIV. Ex quo constat, illos, qui in pœnitentiâ cum essent, viaticum hoc accipiebant, in communionem quidem receptos, non tamen plenè reconciliatos fuisse, cum non dissimulent canones, eos si supervixissent, reliqua pœnitentiæ impositæ tempora absolvere debuisse. Fuit igitur communio illa, in quam recepti fuerant, minùs plena, & eum tantùm in finem concessa, ut, si mori contingerit, ne extra Ecclesiæ gremium decessisse dicerentur, & ut beneficiis, quæ post mortem contingere illis possent, frui liceret. Idque verbis valdè perspicuis indicat Concilii Namnetensis canon quintus. *Infirmus, qui necessitate mortis urgente confitetur peccata sua, sub eâ conditione à Sacerdote reconcilietur, ut si ei Dominus vitam donaverit, sanitatemq. reddiderit, secundum qualitatem delicti omnimodis pœniteat.* Semper enim de pœnitentibus, nisi ipsi se malè gessissent, benè sperabant, adeò, ut etiamsi communionis restitutionem illi morte suâ prævenissent, noluerint tamen eos misericordiâ suâ destitutos esse. Quem in finem etiam in Concilio Vasensi I. constitutum fuit, ut si vel maximè ante communionem decessisset quis in pœnitentiâ constitutus, dum tamen bona spes de ejus emendatione præsto fuisset, oblationes ejus recipi deberent. Sic enim se habet ejus Concilii canon secundus: *Pro his, qui pœnitentiâ acceptâ in bonæ vitæ cursu satisfactoriâ compunctiōe viventes, sine communione inopinato nunquam transitu, in agris aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam; quia nefas est eorum commemorationes excludi à salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutiùs reos statuunt, indignos salutiferis mysteriis judicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque sacramentorum viatico intercipiuntur: quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem sacerdos denegandam putasset.* Ex hoc canone colligitur, (1.) communionem aliquam fuisse aliam ab eâ, quæ per absolutissimam reconciliationem restitui dicebatur, (2.) absolutissimam reconciliationem fieri potuisse sine præviâ communionem aliquâ simplici. (3.) Oblationes eorum, qui in verâ contritione decessissent, non debuisse respui, ut maximè in communionem nondum fuissent. (4.) Communionem hanc per Sacramentorum viaticum inductam fuisse, & sic etiam per eucharistiæ participationem. Nec alii d ergo intelligi in superioribus canonibus debere viaticum, quam quod confertur per ulum eucharistiæ. Et exinde communio, quæ hâc ratione restituitur, viatica dicitur in Concilio Aurelianensi III. c. 6. & eucharistia ipsa communionis viaticum, in Concilio Remensi can. 9.

XV. Nec tam faciles tamen in communionem hâc reddendâ fuerunt Christiani primitivæ Ecclesiæ, uti successu temporis fieri consuevit ab eorum successoribus. Illi enim, ut in Gentilium oculos eo magis incurreret extrema vitiorum detestatio, quæ præter fidem salvificam, Ecclesiæ tum



temporis propria erat, sufficere putarunt, ad pœnitentiam & conversionis ἀσκησιν revocatum fuisse taliter delinquentem; in communione verò concedendâ tenacissimi fuêrunt, nec quenquam nisi post longa annorum spacia & insignia veræ pietatis atque pœnitentiæ specimina admisêrunt. Constat id ex Innocentii I. epist. 2. c. 2. cujus verba operæ precium erit ut hic legantur: *Et hoc, inquit, quæsitum est, quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo sine vite sue pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt. De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordiâ inclinatio est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, negata meritò communio est, concessâ pœnitentia, ne totum penitus negaretur: & durio remissionem fecit temporis ratio. Sed posteaquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam terrore depulso communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, & ne Novatiani heretici negantis veniam asperitatem & duritiem sequi videamur. Tribuitur ergò cum pœnitentiâ extrema communio, ut homines hujusmodi, vel in supremis suis pœnitentes, miserante Salvatore nostro, à perpetuo exilio vindicentur.*

XVI. Quod verò viaticum hoc, de quo loquimur, de eucharistiâ accipi debere ideo negat Albaspinæus, quia eucharistiâ pœnitentibus non nisi ex concessione & arbitrio Episcopi exhiberi solita fuerit, viaticum autem hoc à presbyteris datum legatur, id non facit, ut in sententiam ejus nos trahi patiamur, quandoquidem fieri non potest, ut de omnibus & singulis pœnitentibus in extremo vitæ constitutis consuli queat Episcopus, in diœcesi præsertim præter modum amplâ, aut certè periculum erit, ne interim, dum Episcopi judicium expectatur, ægrotus id morte suâ antevertat, nullâque impetratâ communionem decedat, quod tamen viatici hujus largitione evitare summo studio contenderunt veteris Ecclesiæ Doctores. Enimverò, quando primùm Episcopis solis hæc provincia reconciliandi pœnitentes cesserit, vix erit, ut in obscuris, quæ supersunt, Ecclesiæ primæ instrumentis inveniri queat; hoc tamen constat, non alium antiquiorem extare canonem, quo presbyteris ea potestas adempta fuerit, præterquam illum, qui Carthagine primùm circa finem seculi quarti conditus est, his verbis: *Fortunatus Episcopus dixit: In præteritis Conciliis statutum meminimus esse, ut chrisma, vel reconciliatio pœnitentium, nec non & puellarum consecratio à presbyteris non fiant; si quis autem emergerit hoc faciens, quid de eo statuendum sit?* -- *Ab universis Episcopis dictum est: chrisma consecratio & puellarum consecratio, à presbyteris non fiat, vel reconciliare quenquam in publicâ missâ presbytero non licere, hoc omnibus placet.*

XVII. Non



XVII. Non alia inquam antiquior extat prohibitio, quanquam extitisse alias anteriores ipse hic canon innuat, non tamen fortasse multo antiquiores. Africa enim tum temporis plurimas coegit synodos brevi temporis spacio ab invicem distantes. Ex iterata hac autem & repetita inhibitione haud frustra colligitur, arbitratos fuisse presbyteros, ad se quoque pertinere hanc potestatem, & difficulter adeo extorqueri eam ab illis potuisse. Et tamen in eodem concilio, cum animadvertissent Episcopi congregati, non posse ita simpliciter & *κατὰ μόνας* presbyteris hanc potestatem adimi, propter eos, qui animam agunt, & reconciliationem enixè cupiunt, concesserunt quidem presbyteris, ut eam hoc casu exercerent, sed jubente & permittente Episcopo. Sic enim se habet canon sequens *quartus*, qui est *septimus* in Codice canonum Ecclesiae Africanæ: *Aurelius Episcopus dixit: Si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari divinis altaribus petierit: si Episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem ejus precepto reconciliare, quam rem debemus salubri consilio roborare. Ab universis Episcopis dictum est: placet, quod Sanctitas vestra necessarid nos instruere dignata est.*

XVIII. Videbatur autem adhuc imperfecta hæc constitutio, propterea, quod non liceret semper consulere Episcopum ejusque rogare sententiam, absente forte eo, aut in extremis constituto poenitente. Condidérunt igitur Patres Africani in Concilio mox sequente *can. 32.* alium novum canonem: *Ut presbyter inconsulto Episcopo, non reconciliet poenitentem, nisi absente Episcopo & necessitate cogente.* Videtur ergo hoc saltem inde sequi, prohibitionem istam, quæ potestatem hanc presbyteris denegant, non esse ex jure divino, & competere adeo eam non minus presbyteris, quam Episcopis, nisi per canones aliud constitutum fuerit. De justitiâ autem talium canonum nunc nihil addo, quam tamen satis fundatam arbitror in eo, quod in Ecclesiâ *κατὰ μόνας* fieri debeant omnia, quodque non temerè imponi debeant manûs, & ab Episcopi regimine totum ministerium Ecclesiasticum dependeat. Quemadmodum igitur ex Canonistarum sententiâ etiam casibus Pontifici Romano reservatis, sicubi reservatio illa sublata, & delegatio à Pontifice Episcopo facta fuerit, ut excommunicatum absolvere liceat, Episcopus tum ordinariam suam, non verò delegatam exercet potestatem, Aug. Barbosa *ad c. fin. §. de offic. Ordin.* ita etiam reconciliandi hanc potestatem, quam Episcopi sibi reservarunt, reservatione sublata, presbyteri exercent, ut suam propriam, non ut concessam aut delegatam, eaque illis semper competit, nisi per reservationem impediatur.

XIX. Nec verò absolvendi istam potestatem ita annexam Ordini Episcoporum credidit Ecclesia Orientalis, ut ab alio etiam extra casum ne-



cesfitatis exerceri non posset. Supra, cum de excommunicandi potestate agerem, retuli exemplum Theodosii junioris, qui ab alio, quàm ab Episcopo, & sine hujus mandato aut jussu excommunicatus fuerat, & quidem propter causam non satis prægnantem, ut ipse etiam Episcopus ab Imperatore imploratus excommunicationem istam injustam & minus efficacem judicaret; nihilominus tamen hâc Episcopi absolutione contentus esse noluit, sed ab Episcopo petiit, ut præciperet Clerico suo, qui eum ligaverat, ut ipse absolveret. Referam eâ de re verba Sozomeni ex *lib. 5. hist. Eccl. c. 37.* Vir quidam, ait; professione monachus, sed animo audacior, ad Imperatorem accessit, ut aliquid ab eo postularet. Quod cum sapiens frustra fecisset, tandem Imperatori Ecclesiasticâ communionem interdixit, injectoq; vinculo discessit. Verùm fidelissimus Imperator ad palatium reversus, cum jam tempus instaret convivii, & adessent convivæ, negavit se prius cibum sumpturum, quàm vinculis solutus esset. Atq; idcirco unum ex familiaribus ad Episcopum misit, rogans ut mandaret ei, qui ligaverat, ut vinculum demeret. Cumq; Episcopus respondisset, non à quovis vinculum recipi oportere, solutumq; eum esse renunciasset, solutionem non admisit, donec is, qui ligaverat, non sine multo labore quesitus communionem restituisset. Quis & cujus ordinis ille fuerit, qui excommunicationis vinculum Imperatori indixerat, Sozomenus non meminit, ἀνδρα eum vocat ἀσκηλῶν. Sufficit nosse, alium eum fuisse & inferiore Episcopo, nec adeo potestatem vel excommunicandi vel excommunicatos reconciliandi Episcopis propriam fuisse, ipsum verò Imperatorem, ab non alio absolvi voluisse, quàm ab eo, qui excommunicationis vinculo eum ligaverat.

XX. Quandoquidem verò ad ipsum illum spectat potestas solvendi, qui ligavit, & hoc naturali rationi consentaneum est, rectè omninò statuit Synodus Antiochena *can. 6.* Si quis à proprio Episcopo fuit excommunicatus, ne prius ab aliis suscipiatur, quam suo reconcilietur Episcopo, vel synodo, quæ congregatur, accedens se defenderit, & persuasâ synodo aliam sententiam retulerit &c. Simile statutum recenset ex Concilio Rothomagensi Ivo Carnotensis *decret. part. 14. c. 106.* his verbis: Sunt aliqui, qui culpis exigentibus à proprio Episcopo excommunicantur, & ab aliis Ecclesiasticis vel Laicis præsumptuosè in communionem accipiuntur: quod omninò sanctum Nicænum Concilium, simul & Chalcedonense, nec non & Antiochenum atq; Sardicense fieri prohibent. Qui canon quasi in compendium contrahit anteriorum Conciliorum decreta, quod etiam ita factum apud Regionem Abbatem Pruniensem *l. 2. de ecclesi. discipl. c. 414.* Nullus Episcopus alterius parochianum excommunicare vel reconciliare præsumat sine conscientia vel consensu proprii Episcopi.

XXI. Merito igitur succenset Ivo *epist. 112.* Fulconi Parisiensis Ecclesiæ Decano, qui postea ejus Ecclesiæ Episcopus fuit, quod à se excommunicatos ille recepisset. De cætero, inquit, culpo dilectionem vestram, quod Paganum



num à nobis Ecclesiasticè excommunicatum & Apostolicâ auctoritate exigentibus  
 culpis suis in infamiam pulsum, in communionem recipitis, & Hugonem Puteacen-  
 sem similiter, quod à nobis fieri de vestris excommunicatis manifestè culparetis.  
 Moneo itaq; ut de cætero, quam à nobis justitiam in necessitate vestrâ vobis fieri  
 velletis, eandem nobis in nostrâ necessitate faciatis, ne si vos negligentes inveneri-  
 mus in nostris, & nos similes inveniamur in vestris. Nec pepercit is Pontificis  
 Romani Legato Hugoni Ecclesiæ Lugdunensis Archiepiscopo, postquam  
 is eodem modo à se excommunicatum in communionem recepisset: De  
 cætero, inquit epist. 60. prædam à Puteacensibus in me & in Carnotensem Eccle-  
 siam factam jure possem à vobis repetere, si reverentiam vestram in jus vocare pos-  
 sem, qui ad suggestionem emulorum meorum prædictos sacrilegos à me & à coepi-  
 scopis meis communionem privatos, me nesciente communioni reddidistis. Ac per  
 hoc scelerum suorum impunitate ad perpetranda majora sacrilegia relaxastis.  
 Quod utrum faciendum fuerit, vel post factum cognitâ veritate corrigendum, ju-  
 dicet justitia vestra, cum justa vincula non solvat, nisi vera pœnitentia.

XXII. Et quia ipse quoque Papa Romanus potestatem istam sibi ar-  
 rogabat, ut putaret, licere sibi à quibuscunque Episcopis ubique terrarum  
 excommunicatos in communionem recipere, grave id visum fuit Episcopis,  
 sua excommunicationis decreta tam parvi æstimari ab excommunicatis, &  
 tam facilè à Pontificibus Romanis rescindi posse. Deliberatum eâ de re  
 fuit in Concilio Lemovicensi occasione datâ, quod excommunicati Aqi-  
 tanigenæ ignorantibus Episcopis suis, à Romano Papa pœnitentiam & ab-  
 solutionem acciperent, ex quâ causâ putarunt pacem & concilium in Aqi-  
 taniâ destrui, dum quos ligant isti, ille injustè absolveret. In memoriam  
 revocabatur, quid contigisset ante aliquot annos, cum Stephanus Aruer-  
 nensis Episcopus conquestus esset de absolutione à Papâ Pontio Comiti  
 Aruernensi indultâ, licet ab Episcopo excommunicatione constrictus esset;  
 & legebantur literæ Pontificis, quibus responderat ille, ignotam sibi fuisse  
 excommunicationem factam, de quâ si certior ab Episcopo redditus fuisset,  
 Pontium non solum repulisse se, sed etiam Episcopi auctoritatem firmando,  
 eum anathematis ictu repercussisse. Et quanquam excusatum hinc Ponti-  
 ficem crediderint Patres Lemovicenses, concludunt tamen, inconsulto  
 Episcopo suo ab Apostolico pœnitentiam & absolutionem nemini accipere  
 licere, & subinferunt porro: Sic Apostolici Romani Episcoporum omnium  
 sententiam confirmare, non dissolvere debent: quia sicut membra caput suum sequi,  
 ita caput membra sua non necesse est, contristari. Vid. Cardin. Baronius ad  
 ann. 1034. n. 20. seqq. Sed fuit tamen satis calva illa Pontificis excusatio,  
 quod debuisset ille causam excommunicationis factæ ab Episcopo requi-  
 rere, nec involare adeò sine causæ cognitione in messem alienam, quam  
 propterea rectè sibi vindicarunt Patres tum congregati.

XXIII. Ta-



XXIII. Tale quid cum metueret Fulbertus Carnotensis Episcopus, propter Comitem Rodolphum, quem excommunicaverat, quod absolutionem ille à Papâ Romano petiturus esset, literis sibi ad Pontificem datis cautum voluit, his verbis eum compellans *epist. 22. Nunc verò ad limina S. Petri contendit, tanquam ibi possit accipere de peccatis absolutionem, unde venire non vult ad emendationem. Underogamus te, dilectissime Pater, cui totius Ecclesie cura commissa est, ut eum de sanguine atq; injuriâ filiorum tuorum ita arguere & castigare memineris, sicut meritum esse tua providentia novit. Nec tua Sanctitas injustè in communionem recipiat, quem divina auctoritas sicut Ethnicum alienat. Unde bone pastor, evigila super nos, ne per incuriam tuam grex Domini detrimentum sustineat.* In eandem sententiam ad Paschalem Pontificem scripsit Ivo Carnotensis *epist. 204.* cum Guidonem Puteacensem excommunicasset. *Unde, inquit, flexis genibus cordis paternitati vestræ supplico, ut sententiam anathematis justè in eum factam Apostolicâ auctoritate confirmetis, & Archiepiscopo Senonensi, Episcopo Aurelianensi Episcopo etiam Parisiensi, ut idem anathema in eum faciant, vestrâ auctoritate Apostolicâ injungatis.*

XXIV. De reservatis, quæ hic facit & sibi soli vindicat Papa Romanus, nihil omninò hic adjiciam. Per ea verò valdè attritam & imminutam esse potestatem clavium ministris Ecclesiæ omnibus ex æquo competentem, nemo non intelligit. Sed enim quod Episcopi reliquis Sacerdotibus abstulerunt, & sibi præripuerunt, id eodem modo Episcopis ademit & sibi uni vindicavit Pontifex Romanus. Ita nempe vara vibiam sequitur. Cumque Pontifex hanc suam absolvendi potestatem sæpè committat Legatis suis, mirum non est, per abusum eam quandoque in corruptelas trahi multo uberiores. Conqueritur eâ de re idem antea memoratus Ivo *epist. 144.* Cum enim Philippus Francorum Rex propter turpem consuetudinem, quam cum Bertradâ adulterâ habuerat, anathematis vinculo obligatus fuisset, tandem verò pœnitentiâ ductus absolutionem petiisset, Pontifex absolvendi potestatem Richardo Episcopo Albanensi delegavit, sed qui verba mandati improbè captando diem ei rei præfixum diffindere maluit, indignantibus plerisque Episcopis, qui comparuerant. *Convenit, inquit Ivo, etiam Rex & lateralis sua, & secundum præceptum vestrum tactis sacrosanctis Evangeliiis parati fuerunt abjurare absolute omnem carnalis copulæ consuetudinem, insuper & mutuam colloquutionem, nisi sub testimonio personarum minime suspectarum, usq; ad vestram dispensationem. Sed quia in literis vestris continebatur, ut in hac absolutione consilium prudentium sibi adhiberet dominus Albanensis Episcopus, totum onus consilii voluit ex arbitrio pendere pontificum. Episcopi verò nescimus quid conjicientes, semper replicabant, se debere esse hujus consilii comites & non duces. Quamvis quibusdam nostram videretur, quod prædicta absolutio ita posset, sicut prætaxata est, honestè fieri, & propter quorundam simulates*



non satis rationabiliter impediri. Non obscure perstringit Ivo Legati Apostolici occultum odium, quo ille in Regem ferebatur, quodque adeo undique occasione captabat suam exferendi acerbitatem.

XXV. Methodus & modus, qualiter Episcopus reconciliare vel recipere debeat excommunicatum, describitur apud Reginonem Abbatem Prumiensem lib. 2. de eccles. disciplin. can. 414. Cum aliquis excommunicatus vel anathematizatus, poenitentiam ductus, veniam postulat, & emendationem promittit, Episcopus qui eum excommunicavit, ante januas Ecclesie venire debet, & duodecim presbyteri cum eo, qui eum hinc inde circumstare debent; ubi etiam adesse debent illi, quibus injuria vel damnum illatum est: & ibi secundum leges divinas & humanas oportet damnum commissum emendari, aut, si jam emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deinde interroget Episcopus, si poenitentiam, juxta quod canones precipiunt, pro perpetratis sceleribus suscipere velit. Et si ille terra prostratus veniam postulat, culpam confitetur, poenitentiam implorat, de futuris cautelam spondet, tunc Episcopus, apprehensa manu ejus dexteram, eum in Ecclesiam introducat, & ei communionem & societatem Christianam reddat. Post haec secundum modum culpae poenitentiam ei injungat, & literas per parochiam dirigat, ut omnes noverint, eum in societate Christiana receptum. Aliis etiam Episcopis hoc notum faciat &c. Ipsa vero haec verborum structura & contextus ostendit, non adeo antiquam esse hanc descriptionem, imo vero a disciplina veteris Ecclesiae haud parum differentem. Olim enim poenitentiae poenales praecedebant absolutionem, nec facile quisquam, nisi diuturno prius jejuniorum & orationum labore exercitatus, in communionem recipiebatur; in hac vero descriptione in communionem pristinam restituitur delinquens, antequam poenitentia ei injuncta fuerit: Idque etiamnum in Ecclesia Latina ita observatur, ut Legum Canoniarum venia in antecessum concedatur, & tum demum sequatur determinatio atque injunctio poenae.

XXVI. Quod vero in dicta methodo apud Reginonem de literis propter factam reconciliationem exaratis dicitur, id jam olim receptum fuisse constat, cum nihil non factum & gestum fuerit antiquitus, in ipsis etiam negociis Ecclesiasticis, cujus non facta fuerit per scripturam consignatio. In Concilio Svesionensi II. quod in monasterio S. Medardi habitum fuit, Hincmarus Archiepiscopus Remensis in hunc modum differuit: Legum ecclesiasticarum consuetudo & auctoritas talis est, ut in causis gestorum semper scripturam requirant: adeo ut qui ad sacrum fontem accedit, suum dare nomen precipiatur; qui ad summum sacerdotium provehitur, decreto manibus omnium roborato eligitur. Ordinatus autem a suis ordinatoribus literas accipere jubetur; qui etiam ab Ecclesiastica societate quolibet excessu discinditur, libellari inscriptione aut recipitur, aut dejicitur. Sed & qui accusatur, vel qui ex-

Am m m

com



communicatur, seu reconciliatur, per Scripturam accusari, vel reconciliari jubetur. Et sic in cæteris hujusmodi in tantum scriptura deposcitur, ut sicut B. Gregorius in commonitorio ad Johannem Defensorem ex Romanis legibus sumens scribit, Sententia que sine scripturâ præfertur, nec nomen sententia habere mereatur. Refertur à Gratiano c. Legum 2. q. 1.

XXVII. Plura alia de pœnitentiâ publicâ, & reconciliatione pœnitentium eruditè ex veterum scriptis congefferunt Dionysius Petavius speciali diatribâ, quam inseruit notis ad Epiphan. pag. 225. seqq. itemque Jacobus Sirmondus tom. 3. opusculor. quæ tamen ita legenda sunt, ut perpetuus habeatur respectus ad ea, quæ in sacro Codice præscripta sunt. Optimè enim Cyprianus lib. 2. epist. 3. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliis ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed veritatem. Plura non addam, eò quod historicè tantum nunc recenseamus ea, quæ antiquitus obtinuerunt, nec solliciti simus, quàm benè maleve singula constituta aut recepta fuerint.

## CAP. XIV.

### De Potestate concedendi indulgentias.

#### I.

**A**D potestatem clavium referri solet hodiè potestas largiendi indulgentias, quam quidem plenissimam tribuunt Pontifici Romano, adstrictum magis Episcopis reliquis. Quare autem non etiam Sacerdotibus reliquis? qui tamen non minus ligare atque solvere possunt, ac Episcopi. Sed enim, ut reliquos hic excludant ministros Ecclesiæ, ad vulgaram suam distinctionem confugiunt Canonistæ, quâ potestatem jurisdictionis aliam faciunt à potestate ordinis, & liberalitatem indulgentiarum non ex hâc ultimâ, sed priore illâ ortum habere somniant. Quod perinde est, ac si dicere quis vellet, sacerdotem, cui data est potestas remittendi peccata & pœnam propter illa promeritam, non habere potestatem conferendi indulgentias: & vicissim, conferre posse indulgentias, qui non habeat potestatem remittendi peccata, qui nullum habeat sacrum ordinem, qui que nec Sacerdos sit, dummodo habeat potestatem jurisdictionis. Quæ certè *absurda* sunt, & causam produnt divinis literis parùm convenientem.

II. Ut perfungamur isto, quem in hoc capite suscepimus, labore, unicum id ostendere sufficiet, admodum recentem & veteribus planè igno-

tam